# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

## DE

# RHEUMATISMO ACUTO.

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES METCALFE,

ANGLUS:

Societ. Med. Reg. Edin.

Soc. Extraord.

necnon

Societ. Physic. Lond.

Soc.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

*CUM PRIVILEGIO,*

APUD ALEX. SMELLIE.

M,DCC,XCVIII.

PATRI SUO CARISSIMO

GEORGIO METCALFE

DE SPALDING

IN COMITATU LINCOLNIENSI,

PIETATIS

MONUMENTUM,

ITEMQUE

ITEMQUE

VIRO SPECTATISSIMO

GULIELMO ALBIN

ARMIGERO

LONDINI

HANC DISSERTATIONEM,

PROPTER SINGULAREM AMICITIAM,

QUA EUM COHONESTARE

DIGNATUS EST,

EXIGUUM GRATI ANIMI PIGNUS,

DICAT

AUCTOR.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

### DE

# RHEUMATISMO ACUTO.

HAEC affectio priscis medicis parum innotuit: vocabulum *rheumatismus* variis quidem ac diversis morbis inditum fuit; eodem autem primò Ballonius, medicus Parisiensis, ad malum, de quo agitur, significandum, usus est; eundemque a catarrho, et podagra, secrevit.

Bottalus primus sanguinis detractionem,

remedium in hoc malo, commendavit; quam medendi rationem medici quique clariores, in artis noſtrae uſu maximè verſati, inter quos eminent Riverius et Sydenham, exinde ſecuti ſunt.

Poſtea cel. Cullenus ſcientiam noſtram de hac affectione, accuratiore ejuſdem hiſtoriâ traditâ, medendique ratione emendatâ, haud parum adauxit. Rheumatiſmum ad phlegmaſiarum ordinem relatum hoc charactere ab aliis conſimilis naturae affectibus ſeparavit. "Morbus ab externa, et plerumque evidente cauſa; pyrexia; dolor circa articulos, muſculorum tractum ſequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum, vel manuum, articulos, infeſtans, calore externo auctus." Cum autem nulla definitio, quamlibet accurata, omnia mali phaenomena, eorundemque varietates, complecti poteſt: eandem,

dem, morbi hiſtoriam uberius tradendo, pleniorem reddere conabimur.

## DE MORBI HISTORIA.

Rheumatiſmus a ſolitis pyrexiae ſignis plerumque incipit; aeger primo languore et laſſitudine afficitur; corporis extrema palleſcunt, et torpent; frigoris ſenſus, qui ſecundum dorſi ſpinam deſcendit, qualis, impetu febris intermittentis inſtante, ſupervenit, ſaepe percipitur; et tandem cum horrore in totum corpus diffunditur. Haec ſigna brevi excipiunt calor toto corpore fuſus, ſitis, inquietudo, anxietas in praecordiis; et cibi, qualiſcunque fuerit, faſtidium. Lingua fit admodum ſicca, et colorem albidum induit; arteriarum percuſſus jam admodum frequentes, pleni, ac duri, fiunt: ſpiritus turbatus crebrò, laborioſè,

et

et arctè, meat : pyrexia auctâ, facies rubore suffunditur, cutisque insigniter aret; capitis dolor, et vertigo, superveniunt; visque oculorum sentiendi mirum in modum augetur.

Postquam pyrexiae signa plus minus diu, unum, aut alterum, plerumque diem, perstiterint; dolores acuti ac mordaces in diversis corporis partibus sentiuntur; easque praesertim partes, quae cute tenuiore teguntur, et praecipue articulos majores, humeros, nimirum, coxendicem, genua, aliosque articulos, nec raro carpos, corripiunt: manus autem, pedes, ac digiti, raro afficiuntur. Dolores vero interdum in variis corporis partibus ante sentiuntur, quam pyrexiae signa se ostendunt. In nonnullis rheumatismi exemplis dolor sedem suam in una tantum parte figit; saepius autem plures simul partes occupat; hîc tamen unum, multo saevius quam caeteros, articulos, angit.

Dolores

Dolores saepenumero musculorum cursum, secundum aponeuroses, sequentes, articulatìm subito vibrari videntur: hanc sedis mutationem, noctu praecipue, corporis calore lecti stragulis intenso, subeunt; quo tempore violentius saeviunt, et mira proclivitate ad articulos antea cruciatos redire solent: hoc modo, in uno articulo remittentes, in altero vicissim recrudescentes, perstare solent; donec tandem omnes fere majores corporis articuli affecti fuerint: hoc porro tempore pyrexia, quae rheumatismum comitatur, violentius ardet: aeger enim miserandus, totum noctem fatigatus insomnis agit: articuli inflammati dolor lecti colore adauctus, quae res indivulsa rheumatismi comes nunquam non existit, aegrumque tanto cruciatu afficit, ut ne tantillus quidem motus, neque etiam stragula partem dolentem vel levissimè tangentia, ferri queant, ad summum cruciatum exurgit, doloremque excitat,

quem

quem nemo, qui hoc malum, aut podagram non paſſus fuerit, animo concipere poteſt.

Si pyrexia mitis, vel nulla, exiſtit, dolores intra unius quidem articuli limites cohiberi poſſunt; ſi fuerit autem inſignis, plures alii ſimul tentari ſolent; unus tamen articulus, ut ſupra diximus multo ſaevius quam caeteri, torquetur: articulis aliquamdiu dolore affectis tumor ac rubor ſuperveniunt; et Pars affecta omnia phlegmonae genuinae indicia exhibet. Tumore detumeſcente, ſigna interdum mitigantur; hoc autem articulum a mali reditu immunem minime praeſtat. Dolor, tumor, ac rubor, ſolito graviores exiſtentes, raro fixi manent; ſedem enim, idque interdum derepente, mutant, et ad partem longe quidem diſtantem, neque ullo muſculorum nexu conjunctam, veluti a genu dextro ad cubiti ſiniſtri ſummitatem, quod mihi plus

ſimplice

ſimplice vice noviſſe contigit, ſubito tranſvolant.

Rheumatiſmus acutus raro criſi ſolvitur: ſudor licet ab initio uſque interdum adfuerit; haec autem exinanitio nec copioſa eſt, nec in totum corpus, nec in articulos affectos, qui aridi, ac rigidi, manent, diffunditur; nec dolores eodem levantur. Doctor Fordyce rheumatiſmum tertiana ſuperveniente ſanatum refert: aegrumque morbo ſic liberatum reditui ejuſdem, frigore, aut humore, agente, minus opportunum eſſe obſervatum eſt. *

Urina per totum morbi curſum decolorata eſt; quamvis in primo morbi ſtadio praeter ſolitum rubet, pellucida tamen exiſtit, neque quid faecis lateritiae, ut in provectioribus ſtadiis fieri ſolet, deponere obſervatur.

Inteſtina

* Fordyce, 2d. Diſſertation on Fever.

Inteſtina fere nunquam immunia evadunt: alvus enim inſigniter compreſſa eſt. Sanguinis e vena miſſi, et ſtatim in vas recepti ſuperficies eandem cruſtam coriaceam habet, quae in caeteris phlegmaſiis obſervatur.

Res quidem ſatis notabilis eſt, quod haec affectio fere ſemper reſolutione, raro ſuppuratione, nunquam gangraena, aut ſcirro terminatur; dolor licet et inflammatio plures ſeptimanas perſtiterint; haecque facie externa a caeteris phlegmaſiis minimè diſtet. Humor autem pellucidus et viſcidus haud raro in tendinum vaginas, in telam celluloſam, et nonnunquam, ut veriſimile mihi videtur, in burſas mucoſas, effunditur. Hunc humorem Cullenus in caſibus a ſe obſervatis ſemper abſorptum fuiſſe narrat. Stork autem articulorum tumores memorat, qui ſcalpelli uſum ad liquorem evacuandum requirebant.

In nonnullis exemplis pyrexia, quae acutum rheumatiſmum inſignit, penitus ante ceſſat, quam articulorum tumor, et praeſertim rubor, evaneſcunt: dolores tamen, mitiores licet facti, ſaepe perſtant; nonnunquam intermittunt; arctioribuſque limitibus circumſcribuntur: aliquem enim ex majoribus articulis, plerumque lumbos, aut genua, occupant: minuſque ad ſedem ſuam mutandam proclives evadunt. Pars affecta rigida fit, et arida; dolorque ſub quovis muſculorum niſu excitatur; et copioſo ex caeteris corporis partibus ſudore manente, articuli affecti ſunt frigidi, et ſudore gelido madent.

Articulorum dolores tempeſtatis viciſſitudine facillimè et inſignitè afficiuntur; frigore ac humore haud parum augentur; calore autem levantur, et ſaepe tolluntur.

Quando morbus hanc formam induit, rheumatifmus chronicus vulgo audire folent.

Affectio, cujus phaenomena difcribere conati fumus, utrumque fexum ex aequo afficere dicitur: cel. autem Home accuratiffima obfervatione infignis, rerumque ufu peritus, mulieres faepius quam mares eadem affici afferit. Rheumatifmus homines a pubertate ufque ad annum trigefimum quintum, et interdum ad quadragefimum, adoriri fere folet: qui hanc aetatem non attigerint, aut annum quadragefimum fuperant, raro graviter afficit: florentem aetatem, et praefertim plenos, ac temperamento fanguineo praeditos, quique multa carne vefcuntur, et vitam inertem degunt, faepius quam delicatulos, ac teneros, tentare folet.

Quoniam rheumatifmus acutus, cum fubita frigoris ac caloris viciffitudine conjungi-

tur,

tur, eundem vere et autumno frequentius occurſurum, *a priori* judicare fas eſſet; et ſane rem ita ſe habere experientia plus ſatis docuit. Cum autem coeli mutationes quavis anni tempeſtate contingere poſſunt, anni tempus, quo morbus interdum ſe oſtendat, ex variis rebus pendebit. Plerumque autem has terrae plagas, in quibus coelum ſubitas ac inſignes mutationes ſubit, frequentius infeſtat. In regionibus autem calidis raro ſe oſtendit. Doctor Hillary de morbis Inſulae Barbadae tractans eandem hoc malo immunem exiſtere ſcribit.

## DIAGNOSIS.

Morbos affines accuratè ſecernere ſummi quidem in medicinae uſu momenti eſt. Morbi praecipue, quibus rheumatiſmus intermiſceri poteſt, ſunt podagra, ſyphilis, et

ſcorbutus.

ſcorbutus. Podagra quidem rheumatiſmum maxime refert: ſi autem aegrotantium hiſtoria, et ſigna utriuſque affectionis propria, rite perpendantur, hi morbi, praeſertim quando indicia adſunt, quibus exquiſitè inſigniuntur, facile a ſe invicem dignoſci queunt.

Rheumatiſmus a frigore et humore corpori admotis plerumque exoritur; et quoties de his cauſis conſtiterit, nullum de morbi natura dubium exiſtere poteſt: podagrae origo, contrà haud raro admodum obſcura eſt; quamvis interdum ad cibi, aut potus, veneriſque, intemperantiam, referri poteſt: nec in rheumatiſmo obſervatur ille partes externas inter et internas conſenſus, qui in podagra, cujus tentationem partium internarum, et praeſertim ventriculi ac inteſtinorum, affectiones antecedunt, adeo manifeſtus eſt: paucis ante enim podagrae tentationem diebus, aeger nauſeâ, vomitu, ac in-

ſomniâ

ſomniâ fatigatur ; ventriculi functiones praecipue, plus minus laeduntur : inflatio, ructus acidi, et interdum guſtus amiſſus, cum plurium functionum infirmatarum ſignis plerumque antecedunt : haec autem rheumatiſmum raro praeeunt, aut comitantur.

Podagra ſaepenumero ex vitio haereditario pendet : nihil autem hujuſmodi adhuc de rheumatiſmo cognoſcitur. Podagrae dolores ſedem ſuam altius figunt, per intervalla ſatis definita redeunt, et articulos minores, tarſum, putà, aut metatarſum, hunc quidem praecipue, infeſtare ſolent. Dolor quidem unam tantum partem, et praeſertim pollicis pedis articulum, ſaepenumero diſcruciat.

In rheumatiſmo autem articuli majores plerumque, minores raro, et artuum ſuperiorum, frequentius quam inferiorum, juncturae,

turae, torquentur: dolores unâ corporis parte rarius contenti, plures ſimul invadere ſolent, et ſecundum muſculos tranſvolantes, miram ſedem ſuam mutandi proclivitatem exhibent. Podagra raro primam aetatem adoritur: plerumque enim non niſi plus annos triginta quinque, aut etiam quadraginta, natos, corripit: mares ſaepius podagrâ, mulieres ſaepius rheumatiſmo, laborant. Quibuſdam podagricis res cretae haud abſimilis in digitorum juncturis deponitur; quod in rheumatiſmo nunquam obſervatum eſt.

Rheumatiſmus a ſyphilitide, ſequentia obſervando, facile dignoſci poteſt: in hac enim dolores in media oſſium longorum, et cranii, parte, praecipue ſentiuntur; ſunt plerumque vagi; nullum autem definitum redeundi tempus obſervant: ſunt magis fixi quum dolores in rheumatiſmo, neque ullâ

pyrexiâ

pyrexiâ comitantur: in rheumatiſmo autem dolores, ut ſupra poſuimus, muſculorum ligamenta, et aponeuroſes tendineas, circa articulos, tantum afficiunt, et ſaepe tactu leviſſimo aſperantur, quod nunquam in ſyphilitide obſervatur. Porro in ſyphilitide cranii oſſa ſaepe tentantur, et nonnunquam exoſtoſes adſunt: haec autem rheumatiſmum nunquam comitantur: inſuper ſi bubones, ulcera tonſillarum, aut cutis, praeſertim, ſi maculae coloris cuprei, ad capillitii marginem, dolores antecedunt, aut comitantur, aut ſubſequuntur; facile de dolorum origine judicare poterimus.

Signa ſcorbuti propria hunc morbum a rheumatiſmo ſatis clare ſeparant: ſcorbutus enim a debilitatis, ac torporis, ſignis incipit; pulſus eſt abnormis et debilis, anima foetet, gingivae ſpongioſae ac molles evadentes ſanguinem tactu leviſſimo profundunt; pal-

lor

lor in ore ſedet, limbuſque lividus oculo circumdatur: maculae diverſi caloris plerumque vero lividae, in variis cutis partibus, et praeſertim ad pilorum radices, ſuperveniunt; quae quidem ſigna nunquam ſe rheumatiſmo comites jungunt.

## DE CAUSIS REMOTIS.

Cauſarum remotarum aliae dicuntur praediſponentes, aliae occaſionales, vel excitantes. In omni forſan rheumatiſmi exemplo frigus eſt cauſa occaſionalis: ſi inſigni vi in corpus agat, morbum omni aetati, ſexui, ac temperamento, etiamſi nulla in eundem proclivitas anteierit, concitare poteſt; non deſunt tamen res, quae corpus eidem opportunum reddunt, et ſic cauſae occaſionalis actioni favent: hae quidem res variae ac multae ſunt. Diatheſis autem phlogiſtica

tica eſt illa corporis conditio, quae homines praeſertim in rheumatiſmum proclives reddit: haec a pubertate ad annum trigeſimum quintum, ſive mediam aetatem, praecipue viget. Qui in regionibus frigidioribus vitam degunt; et praeſertim ubi frigus ac calor ſubito ſe invicem excipiunt: quique temperamento ſanguineo, atque juvenili robore praediti ſunt, hos, prae caeteris, rheumatiſmo opportunos eſſe, inter omnes jam conſtat.

Medicamentorum quoque roborantium uſus longus ac nimius, vim corporis irritabilem ultro modum intendendo, morbum excitare potuerint. Cel. Sydenham morbi exempla ex diuturno cinchonae officinalis uſu orta memorat. Omnia quae nimiae ſanguinis abundantiae favent, diatheſin phlogiſticam augere patet: qualia ſunt iners et ignavum vitae genus, diaeta plena, lauta,

ac nimis nutriens; ſomnus immodicus, ſolitae exinanitiones ſubito repreſſae, cutis, putà, halitus, menſes: hinc forte ratio reddi poteſt, quare mulieres in hunc morbum maribus procliviores fiant; huc quoque pertinere videntur, fonticulorum, ſetaceorum, aut veſicatoriorum, exinanitiones ſuppreſſae; uſitata quoque ſanguinis detractio omiſſa, et haemorrhagiae ſolitae ceſſantes.

Praeter cauſas jam dictas, omnia, quotquot corpus infirmant, laxant, ac ſolvunt, idem irritabile reddunt, efficiuntque ut cauſae nocenti multo minus obſtat: inter haec eminet nimius ſalivae fluxus longo, aut immodico, hydrargyri uſu, motus: his annumeranda ſunt, venus nimia, morbi longi, inertia, cubicula calida, &c. quae omnia vim muſculorum irritabilem nimis augent, et opportunitatem ad hunc morbum faciunt. Quibus enim vires morbis acutis recèns

fractae

fractae fuerint, hos subitis coeli mutationibus, prae caeteris, exquisitius affici, est res satis nota. Causae occasionales vel excitantes plures esse possunt; frigus autem est princeps, et frequentissima, quando corpori diutius admovetur, vel conjungitur cum humore, quippe qui in vaporem solutus frigus insigne gignit, actio ejus imprimis intenditur; quo major quoque fuerit corporis calor, eo majori in eodem vi frigus pollebit. Quicquid denique musculorum actionem ultra modum intendit, quales sunt nisus eorundem violentiores, causa excitans fieri potuerit.

## DE PROGNOSI.

Quamvis rheumatismi dolores sint admodum saevi, exitum tamen raro, aut fere nunquam infelicem esse longa experientia constat,

ſtat. Non deſunt quidem exempla, in quibus morbi eventus infauſtus fuit: hujuſmodi autem caſus, typhum, alioſve morbos periculoſos, fere ſemper comites habent. Morbi cura eſt ſaepe difficilis, et medicamentis male abſolvitur; hoc praeſertim evenit, quando malum ſit robuſtum, et inveteratum, vel aeger iteratos ejuſdem impetus paſſus fuerit, et membranae praeter naturam craſſae ac rigidae evaſerint: tunc enim diri effectus, arthrodynia nimirum, articulorum rigiditas, anchyloſis, paralyſis immedicabilis, &c. ſupervenire ſolent.

Rheumatiſmus ad partes corporis internas, cerebrum, ſcilicet, pulmonem, ventriculum, aliaque viſcera, repelli dicitur: haec autem mala ad podagram potius quam ad rheumatiſmum pertinere mihi videntur. Rheumatiſmus fere ſemper reſolutione, per raro ſuppuratione, et vix ac ne vix quidem

dem gangraena, aut ſcirro, finitur. Cel. Stork Vindobonae hanc affectionem ſuppuratione interdum terminari aſſerit: pluraque hujus finis in libro, cui titulus, annus medicus, in lucem edidit. Tumoribus apertis, magna puris vis profundebatur; neque chirurgis licet peritiſſimis adjutus plura ex ulceribus, nulla quidem ſine magna difficultate, conglutinare potuit. Sic ſcribit. "Longo tempore diverſa remedia ex-"terna tentavit Dominus Haffner, optatam "tamen metam attingere non potuit." Quamvis autem cel. Stork plura exempla, ſuppuratione finita, vidit, cel. Cullen hanc morbi terminationem nunquam ſibi occurriſſe dicit, nec alium novi auctorem, qui caſus hoc modo finitos memorat.

Ætate provectiores haud raro multa mala patiuntur, praeſertim quando priores morbi impetus imperitè tractati ſunt: vel vires hoc,

hoc, aliisve morbis praegressis, fractae fuerunt; rebus ita se habentibus, prognosis est mala. Si morbus in longum tempus protrahatur, dolorque eidem parti pertinaciter inhaeret, malum augurari fas est. Contra si aeger sit juvenis, nec plures mali tentationes passus fuerit; nec vires intemperantia, aut morbis praegressis, frangantur, neque signa graviora sint; si sudor copiosus ac tepidus, sive arte, sive natura, motus, prorumpat, in totum corpus diffundatur, et horas 12, vel 24, signis simul remittentibus, perstiterit, aegerque bene dormiat; si pyrexia signa leviora fiant, si pulsus sit mollis, nec admodum frequens; et remedia idonea a morbi initio usque data fuerint; aegrum cito, ac tuto, sanitatem recuperaturum, sine errandi periculo, praedicere fas est. Spes nostra ulterius firmabitur, si urina faecem lateritiam deponat, et cibi appetentia redeat, linguaque munda ac humida fiat. Diarrhoea

spontanea,

ſpontanea, aut ſanguinis ex aliqua parte profluvium, vel erythema, ſunt ſigna boni ominis.

## RATIO MEDENDI.

Ex conſpectu morbi ſupra tradito medendi rationem in duo conſilia, quaſi ſponte, ſe dividere, manifeſtum eſt.

1*mo*, Diatheſin phlogiſticam totius corporis, et praecipue partium maxime affectarum, tollere.

2*do*, Spaſmum vaſorum extremorum ſolvere.

Primum conſilium regimine antiphlogiſtico, caeteriſque remediis, quae vim cordis et arteriarum morboſam, experientia duce, minuunt. Regimen antiphlogiſticum conſiſtit in evitatione et imminutione irritamentorum,

irritamentorum, quae corporibus noſtris fere ſemper admoventur, et generis nervoſi vires et actionem intendunt: horum inſigniora ſunt calor, exercitatio corporis et animi, alimenta, et praeſertim cibus ex carnibus paratus, potuſque meracus, liquores nimirum fermentati, lux nimia, ſtrepitus, &c.

Temperies igitur cubiculi, in quo aeger decumbit, modica eſſe debet; nihil enim corpus magis ſtimulat, aut irritabilius reddit quam nimius calor: cum autem frigus princeps mali cauſa excitans exiſtit, a nimio ejuſdem gradu haud minus caute caveri debet. Media forſan temperies anteponenda eſt. Aeger ſimul omnem corporis niſum evitare debet: et quoad ſitum, cubatio, quippe in qua pauciores muſculi exercentur, praecipienda eſt. Cumque quaedam animi conditiones diatheſin corporis phlogiſticam

gisticam haud parum augent: omnia quae animum tranquillant, et serenant, admodum necessaria sunt: ab ira igitur, et omni motu, qui ad animum excitandum pertinet, solicitè cavere debemus. Lucis, simul, ac soni, stimulus, minuatur oportet. Cibi fere omnis, ex carnibus parati, usus interdicendus est: et in horum locum res blandae, mites, ac refrigerantes, fructus nimirum subacidi, farracea, panis bene fermentatus, et glutinosa, sago, &c. substituantur: observandum est autem hic loci; nullam fere diactam, praeter ptisanam, dum diathesis phlogistica saevit, concedi debere.

Liquores omnes meraci, liquores, putâ, fermentati, vinum, aut hujus spiritus, quippe quae omnia non solum corpus vehementer calefaciunt et stimulant, sed etiam animum ultra modum irritant, cautissime evitanda sunt. Decocta ex farraceis,

 potusque,

potuſque, qui ex aqua potiſſimum conſtant, optime reſpondebunt. Cura ſimul adhiberi debet, ne ventriculus cruditate laboret, aut inteſtina faecibus diutius retentis graventur: haec enim omnia corpus non parum ſtimulant et calefaciunt: praeſertim cum morbi inflammationem habentes urgent. Hae noxae vomitoriis mitioribus, medicamentis catharticis, et enematibus lenioribus exinaniantur oportet.

Quamvis regimen antiphlogiſticum, de quo jam pauca diximus, haud parum ad diatheſin phlogiſticam minuendam facit; hoc tamen abſolvitur potiſſimum remediis evacuantibus, quorum efficaciſſima ſunt ſanguinis detractio, praeſertim morbi initio, copioſa, et ſaepius, ſi ſigna poſtulaverint, iterata, et alvi purgatio. Quoad ſanguinis quantitatem detrahendam, hujuſque iterationem, docet pulſuum arteriarum conditio,

tio, dolorum, et inflammationis, magnitudo, aegri vires, aetas, ſexus, temperamentum, et uſus hujus exinanitionis frequentior, aut rarior.

Si aeger ſit adultus, validus, et plenus, unciae 14, aut 16, impune ſimul detrahi queant; haec quantitas hoc modo detracta plus valet ad diatheſin phlogiſticam tollendam, et dolores mitigandos, quam 30, vel etiam plures, diverſis temporibus parva tantum quantitate miſſae. Si febris, et alia indicia, poſt horas duodecim elapſas, urgere pergant; ad alteram detractionem confugiendum eſt.

Si aeger autem ſit aetate provectus, aut habitus corporis delicatulus exiſtat, ſanguinis detractio debet eſſe parcior. Quantitas autem in hujuſmodi exemplis detrahenda haud facile ad menſuram redigitur. Cel.

enim

enim Gregory, inter aegros quosdam admodum debiles curandum, post regimen antiphlogisticum, sanguinem ex partibus dolentibus missum, et medicamenta sudorem moventia frustra adhibita, detractione sanguinis generali haud raro uti coactus fuit. Quandocunque autem sanguinis detractio necessaria videatur, observandum est eundem ex ostio magno velociter effluentem multo plus ad inflammationem tollendam valere, quam copiam longe majorem tardè ex parvo ostio missam.

Cum sanguis in hoc morbo crustam coriaceam albam per totum fere cursum ostendit, non possumus judicare ex sanguinis specie de quantitate detrahenda, neque de eadem iteranda, nisi alia signa simul adsint; qualia sunt pulsus frequens validus ac durus, partis tensio, tumor, rubor, calor, et dolor. Interea observandum uncias 14, 16,

aut

aut 20, pro magna; 12, vero, vel pauciores, pro parva ſanguinis detractione, habendas eſſe. Riverius detractiones ſanguinis frequentes in hoc morbo commendat, et haec verba habet, 'Quandoquidem hic morbus 'hoc habet peculiare, ut ex frequente ve- 'naeſectione vires non dejiciuntur, ſicut in 'aliis morbis ſolet contingere.' Eques Pringle quoque ſanguinis detractionem hîc enixe commendat, morbumque iteratâ, et fere quotidianâ, ſanguinis detractione, praecipue ſanari aſſerit; corpuſque multo minus hac exinanitione in hoc morbo, quam in quovis alio, infirmari, addit. Quantiſcunque vero laudibus hoc remedium in rheumatiſmo acuto efferatur, nunquam e memoria excidere debet, diriſſimos effectus, ingentem, nimirum, ac periculoſſimam, debilitatem, feracem hydropis, multorumque aliorum malorum pertinacium parentem, ex nimio ejus uſu proveniſſe. Si dolores

autem

autem pertinaciter urgere perstant, et unum tantum articulum torquent; generali sanguinis detractione adhibitâ et iteratâ, quoties medicus prudens, et cautus, necessarium habuerit; et praesertim si morbus ex his doloribus potius quam ex diathesi corporis phlogistica pendeat, et iisdem perpetuetur: sanguinis detractio ex partibus affectis, quae multum quidem inter medicos laudatur, ad dolorem mitigandum, praecipiatur oportet: hîc sanguis hirudinibus, vel cucurbitulis cum ferro admotis detrahi debet.

Vesicatoria quoque et rubefacientia parti dolenti imponenda, vel linimenta iisdem affricanda, laudantur: raro autem in acuto rheumatismo prodesse solent, imo saepe quidem nocent; dolorem enim, ut experientia constat, saepe intendunt.

Medicamenta

Medicamenta cathartica ſaepe ad rheumatiſmum acutum ſanandum adhibita fuerunt: eiſdem vero raro, aut nunquam, fidere poſſumus; neque tanta quidem in diatheſi phlogiſtica tollenda vi, quanta ſanguinis detractio, pollent. Porro magna moleſtia, quam ſecum plerumque afferunt, liberum eorundem uſum prohibet. Omnis enim corporis motus dolorem acutum excitat, morbumque intendit. Quamvis autem cathartica parum idonea ſunt, imo etiam nocent, ob motus corporis frequentes, et dolorem acutum, inde natum, quos efficiunt, et ob periculum ex aëre frigido, cui aeger, inter ſurgendum, neceſſariè objicitur, quique ſemper in hoc malo cautè vitari debet; cum tamen proclivitas ad alvi duritiem hujus morbi comes haud raro exiſtit, ſumma ope niti decet, ne quid irritamenti oriatur a ſtercore diutius inteſtinis retento, quod corpus haud parum calefacit,

et

et ſtimulat; alvus igitur per totum mali curſum leniter ſoluta ſit oportet, quod enematibus emollientibus, prout ſigna poſtulaverint, iteratis, fieri poteſt. Si haec autem non reſpondent, confugere licet ad cathartica mitiora, qualia ſunt, manna, tamarindi fructus, tartari cryſtalli, quae parvis tantum doſibus adminiſtrari debent. Medicamenta refrigerantia eodem conſilio dentur: haec ſunt diluentia, quae, acidis nativis frugum, ad gratum acorem, additis, ſitim optime reſtingunt, corpus refrigerant; omneſque excretiones promovent: porro haec remedia haud parum ad ſpaſmum ſuperficiei corporis ſolvendum conferunt.

Diatheſi phlogiſticâ ſublatâ, aut ſaltem minutâ, animus ad ſecundum medendi conſilium, ſpaſmum nempe vaſorum extremorum tollere, adverti debet. Hoc conſilio omnia fere medicamenta ſudorifica diverſis

temporibus

temporibus adhibita fuerunt. Sudorem autem medicamentis, quae corpus minime stimulant, aut calefaciunt, moveri necesse est; si enim medicamentis irritantibus eliciatur, diathesin phlogisticam multum intendit; nec parum corpori nocet. Pulvis ipecacuanhae compositus optime huic fini accommodatur; diuque omnium medicorum suffragia non sine summo, ob magnam in hoc morbo utilitatem, jure, sibi vindicavit. Ante vero quam pulvis datur, aeger panno laneo, quippe qui sudorem promovet, et imbibit, multo melius quam linteus, indutus decumbere debet. Sudorem semper quam lenissime cieri oportet; doses igitur pulveris magnas dare non licet; porro justo major dosis nauseam, ac vomitionem movere solet; grana 10, aut 12, secundâ quâque horâ, donec sudor copiose fluat, satis sunt. Sudor iisdem fere dosibus, longioribus tamen intervallis, promoveri, et

 perpetuari,

perpetuari, debet. Vel in pulveris locum, haustus ex tincturae opii et tincturae ipecacuanhae, vel, vice hujus, ex vini antimonii tartarisati, singulorum guttis 20, factus, suffici potest.

Porro opus est ut sudor ex omni corporis parte copiose manet: si igitur in pedes usque non diffundatur; quod interdum fieri solet: his fomenta calida, vesicae nimirum aqua tepida semiplenae, admoveantur oportet. Sudor hoc modo in horas 24, aut 48, protractus promoveri potest; ejusque imminutio signorum violentiâ et aegri viribus regatur. A pulvere sumendo aegrotus bene mane incipiat; omnes enim secretiones die, facilius quam noctu, dum dormit aeger, promoventur; porro pyrexia doloresque noctu plerumque ingravescunt, et mane remittunt. Nullus aegro administrari debet potus, donec sudor prorumpat, ne pulvis

rejiciatur;

rejiciatur : eodem prorumpente, potus tepidi diversi, praesertim illi, quae minime stimulant, liberali manu exhiberi debent.

Vomitio lenis, ineunte morbo, saepe prodest, sudorem enim, humorum cursum corpus extremum versus accelerando, haud parum auget, et sic corpus refrigerat; plena autem vomitio, quippe quâ corpus magnopere agitatur, et dolores inde necessariè intenduntur, nunquam adhiberi debet: vomitiora igitur dosibus admodum parvis, ad nauseam tantum lenem administrata, minime periculosa sunt: imo, caute hoc modo data pyrexiam, vasorum corporis extremorum actionem excitando, sudoremque aliquamdiu sustinendo, haud parum minuunt: porro alvum leniter solutam tenent. Omnibus autem remediis, quae hac in corpore humano vi pollent, diu praelata fuit tartris antimonii. Finem faciam memorando

rando medicamentum, quod cel. Saunders praeclarum in rheumatiſmi acuti curatione auxilium, fama concelebravit: volo cinchonam officinalem, quae maxime optandos effectus in hujus mali ſanatione, diatheſi phlogiſticâ remediis idoneis prius ſublata, edit. Clar. enim doctor perito hujus remedii uſu peſſimos rheumatiſmi acuti effectus, arthrodyniam, nimirum, articulorumque regiditatem, ac debilitatem plerumque praeveniri aſſerit *. Rheumatiſmum autem acutum nihil aliud eſſe, quam febrem intermittentem, ut cel. vir contendit, eidem aſſentiri nequeo.

* Saunders's Obſervations on the Red Peruvian Bark in the cure of agues and fevers, &c.

*FINIS.*